

SLUB Dresden, Mscr. Dresd. F.172.c, fol. 73v–74r.

Missiva Tuschkonis ad dominum Eneam Silvium.

Doctissime vir, fautor mi amantissime. Locum ut videtur salutationis occupare non convenit, cum totus vester sim et semper a vobis optem michi precipere quidquid libet. Non enim servulum me vestrum preceptorumque vestrorum executorem paratissimum tantum exhibeo, sed nominis Enee continuum preconem, cuius in laude nedum ipsa lingua calamusve, verum etiam vires totius corporis, quoad vivo aut vivere potero, non silebunt. Rogo igitur, auscultetis et perpendite quod subditur. Novus⁵¹ quidam ut ita dicam poeta nostris surrexit in partibus, qui, uti conicio, aliter volens apparere quam sit, epistolam suam michi certum per nuntium obtulit, qua scientiarum et ingenii vestri perscrutando sublimia exemplis quibusdam imaginibusque ac figurationibus monstruosis / me in tantum commovit, ut vix etiam spiritum habere videbar. Nomen itaque suum et conditionem ex tenore ipsius epistole, cuius copiam hic inclusam vobis dirigo, percipite, et qualis homo sit, rogo, mentis vestre colligentes indagine rescribite sibi ad materiam, quod videtur, michi litteram eandem sibi ulterius per me destinandam una cum notula facientes, dum nuntius occurrerit, presentari. Ego enim sibi rescripsi taliter, sicut in notula hic inclusa videbitis. Vos tamen durius talem, mi domine Enea, multum precor tangite, calamum, ut contra talem decens est, acuentes. In eo michi facietis complacentiam nimis gratam. Rogo etiam michi, domine Enea, sensum illius epistole vestre causamque michi, dum fieri poterit et occupationes alie permittent, dirigi, cuius copiam ante alicuius temporis elapsum vobis per Huschkonem destinavi. Valet scientes me in omnibus semper vestrum.

7

Eneas (Silvius Piccolomini), Bischof von Triest, bittet den königlichen Sekretär Michael (Rentz von Pfullendorf) dringlich, sich mit Nachdruck darum zu bemühen, dass ihm sein Gehalt ausgezahlt werde; er äußert im Übrigen eine ambivalente Einstellung zu Geld und versichert, finanzielle

51) Die Bezeichnung des Pilsner Notars als novus poeta scheint eine Anspielung auf den Prolog des Phormio zu sein, in dem sich Terenz als „neuer Dichter“ gegen einen poeta vetus zur Wehr setzt.